

A-313151

R. 25.872

Foll. 21-31

ORATIO

PRO LITTERIS AUSPICANDIS

SECUNDO INEUNTE LITTERARIO CURRICULO

JUXTA SCHOLÆ DISCIPLINAM

AD NOVISSIMA REGIA STATUTA EXACTAM

CORAM ILLMO. REG. UNIVERSIT. COMPOSTELLANÆ

RECTORE, AC SENATU

SACRA EJUSDEM ÆDE

XV. KALENDAS NOVEMB. ANN. DÑI. MDCCCXXV.

RECITATA

*AD D. VINCENTIO MIRANDA VILLAMATOR
Presb., et in eodem Lycæo publico olim Syntaxis Professore,
Linguae deinde latinæ temporario Moderatore, nunc verò
præluđiis de Oratoria Sacra, et forenşi comparanda
iterum præfecto.*



SUMPTIBUS UNIVERSITATIS.

Typis D. Joannis Francisci Montero, ann. Dñi. 1827.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE SANTIAGO



00240938



*Qui autem fecerit, et docuerit, hic magnus
vocabitur in regno cælorum.*

Matth. cap. 5. v. 19.

Novissima scholæ disciplina, quâ adversus grassantes hoc ævo super Aris, et Solio errores Iberæ juventuti, miserente Deo, consultum est, in duas distribuitur partes, alteram scilicet quæ in erudiendis probatissimâ, et ex XIII sæculi fontibus haustâ doctrinâ mentibus juvenum tota versatur, quam proinde *litterariam* nuncupare licebit; alteram verò, quæ posset dici *moralis*, utpote quæ moribus castigandis optimisque artibus atque ornamentis imbuendæ juventuti quàm diligentissimè incumbit. Primam quidem vobis, dignissime Rector, Clarissimique Doctores, hinc anno superiore pro ingenii mei tenuitate strictim commendavi, cum primùm vestrum Illmum. Senatam ex hoc loco mihi alloquendi aditus patefactus est; secundam verò nunc temporis inculcandam suscipio, idque unum erit totius orationis argumentum: ita enim scientiis comparandis, verique lumine menti perficiendæ accurata morum castigatio, optimaque juvenum

4
institutio connexa est, ut, si posteriorem sustuleris, et prior constare nequeat, nam in animam malevolam non introibit sapientia (*).

Quis enim videtur vobis, Sapientissimi viri, posse speciosissimo hoc nomine meritò, jureque suo appellari? Ego quidem eum tantummodo existimo, quem simul cum vitâ exornaverit doctrina. Qui non quadam vulgari eruditione sapientis nomen præseferat, sed insigni literaturâ excultus sit, atque in disciplinarum pulvere summâ cum laude versatus. Qui, dum ejus mens ad veritatis cognitionem pertingit, nequam homini faciem nativitatis suæ consideranti in speculo comparetur, qui statim abiit, et oblitus est; sed partâ sibi doctrinâ rectè noverit uti, et ad eandem normam vitam, moresque suos exactè composuerit. Qui sapientiæ splendore minimè ad inanem gloriam, animique insolentiam efferatur; sed sui ipsius probè memor expressam humilitatis, cæterarumque virtutum imaginem referat, quam cæteri sibi in vitâ instituendâ proponentes, animos, mentesque suas cogitatione hominis illius conforment. Cujus proindè eruditio nullatenus in ruinam inducat,

(*) Sap. I. v. 4.

5
quin potius ad ædificationem corporis Christi
ordinetur.

Videte autem, qua ratione hæ omnes, quas
viri sapientis partes enumeravimus, in perditio-
moribus homine possint adunari. Quomodo enim
ingentem illam litteraturæ segentem sine moribus
comparabit? Nonne ad veritatem altius, eruens-
dam exigitur ardens ejusdem studium, solers
atque jugis impensa litteris opera, ingenii vis,
et acumen, interque alia plura judicium acre,
et singula ad rationis trutinam expendens? Solu-
tis verò cupiditatibus, mens tenebris circumvolvis-
tur, à veritatis studio, et contemplatione revoca-
tur, litterarum incessit fastidium, hebetatur inge-
nii acies, judicium denique pravis habitibus ob-
noxium præceps in errorem abripitur.

Quid, quod maxima earum rerum cognitio,
quæ ad veram sapientiam exiguntur, in ipsorum
morum notitia, atque revelatis nostræ religionis
doctrinis constituta est? Turpissima quippe esset
socordia mentem in cæteris perscrutandis solici-
tam in sui ipsius negotio cæcutire. Quid autem
hic homo magnum, aut amplum videtur vobis
posse de moribus judicare, qui sine moribus vi-
vit? Nonne qualis unusquisque est, talis finis vi-
detur ei? Quantâ firmitate suum intellectum cap-

tivabit in obsequium fidei, cum de habendâ eis dogmatibus fide agitur, quorum veritatem nunquam extitisse gauderet, severitatemque formidat? Hic, Sapientissimi viri, plerisque, quæ in Christi ecclesiam ab ejusdem incunabulis invec-tæ sunt, hæresibus fuit fons, et origo: in diversos enim discindi licuit errores, hoc tamen inter omnes sibi commune est, atque ex hoc uno puteo caput sustulisse videntur. Ipsosmet blandos, atque fallaces hujus tempestatis sermones, quorum pernicie adeo gravati sumus, undè, nisi à depravato, et infecto corde suam referre originem putatis? Sciscitami ab eisdem, quos tantopere juvant, tantâ contentione sustinent, tantâ calliditate diffundunt, an prius mente, an corde fuerint seducti? Num aliquod sibi facessero negotium animæ immortalitati assentiri, strictissimo post mortem judicio, paratæ in æternum improbis gehennæ, donec solutis licentiæ habe-nis, illecebrarum vinum inebriavit? Donec sce-lerum suorum immanitate percussis, conscientia obstrepuit, et ad hujus obtundendos stimulos prima quoque religionis fundamina inficiari impulit?

Quantum itaque ab investigandâ veritate, et scientiâ, cujus *initium est timor Domini*, comparandâ perditioni moribus aberrent, hactenus dixi;

nunc verò, quam minimè cæteros bonam trahant ad frugem, quod est potiùs sapientis officium, si qui malè viventes, polleant doctrinâ, per nonnullas personarum conditiones, rogo, considerate. Quomodo ædificat à virtutis tramite deficiens sacerdos, quantumvis doctrinæ inflatis buccis eructare videatur? Qui erit sal terræ, ad cujus contactum fidelium mentes æternæ vitæ sapore condiantur, si infatuatus et sensu saporis obtuso, vivificare corrupta, vel potiùs à corruptione præservare non possit, sed projectus de ecclesia, pedibus incedentium proteratur? Quid Magistratus? Quanti referet copiosam juris jactare doctrinam, ad exequendum vero et animo, et integritate deficere? Eritne severus in cæteros judicando, qui severos in se alios esse iudices non vult, vel commissam sibi provinciam continebit, qui seipsum non continet? Quanta esse poterit æquitatis statera, criminum vindicta, insontium perfugium, pupillorum patrocinium, et viduarum consolatio? Quid Doctor? cujus præcipuæ partes sunt: incipientes erudire, profectos instruere, fidei mysteria exponere, et ab impiorum sophismatîs, et cavillis vindicare? Qui ingruente in Ecclesiam hæreticâ lue, debet Christum coram hominibus confiteri, veritatis vi fascinantium

ora obtundere, et ne inconsutilis Christi vestis scindatur, conniti usque ad aras? Verumtamen, ¡próh Deus! Doctorali laureâ plures hic sumus insigniti; at quotusquisque nostrum, cum agebatur de Ecclesia, accepto ab eâ huic honori, et officio respondit? Quotusquisque durissimâ hac tempestate, prorumpentibus atram ad æthera nubem portis abyssi, se pro domo Israel tamquam murum opposuit? Quotusquisque, vel timore dissolutus, vel laboris tædio pugnæ non satis accinctus, non obmutuit, vel socordius, quinque talenta, quæ acceperat, opportunissimo ad fænerandum tempore, et domino exigente usuras, reposita non habuit in sudario? Quid orator.... sed longius provehor, quantum enim detrimenti pariat nuda operibus doctrina, opus non est, ut pluribus commemorem; satis namque convicti estis ex morum licentiâ longè, latèque serpenti, nec solum privatas personas sed etiam publicas pervagatâ tot malorum, quibus implicamur, stragem prodiisse.

Quanto igitur studio vos convenit, ei præpositos, in qua viri sapientes, ut ita dicam, excidantur, officinæ, in morum castigationem incumbere, ut nihil vestro obstet officio, quominus omnibus numeris absoluti, et ad optimam

imaginem expressi commissi vobis adolescentes
 evadant? Quantâ oportet curâ ab incunabulis
 virtutum semina teneris eorundem animis com-
 mittere, ut veluti arbusculæ à nativitate directæ,
 saluberrimæ doctrinæ imbribus irrigatæ, opti-
 misque artibus excultæ suavissimos sapientiæ
 fructus ad maturitatem perducant? Quæ autem
 planior ad id assequendum via, quam religiose,
 et adamussim observata præcepta, quæ hac su-
 per re in novissimâ edita sunt disciplinâ? Cul-
 tus academicus luxui aditum præcludens, statâ
 litteris horâ solitudo, vitandi improborum con-
 gressus, et contubernia, intercepta omnino noxio-
 rum librorum prælibatio, repetitaque inter cæ-
 tera Sacramentorum Pœnitentiæ, et Eucharistiæ
 susceptio, præstantissimos vobis, mihi credite,
 juvenes præstabunt. Accurata insuper cujusdam
 tribunalis uni morum correctioni invigilantis so-
 licitudo, quod omni tam academicâ, quam ci-
 vili auctoritate præditum extat, devios revoca-
 bit, torpentes acuet, strenuos incendet, omniaque,
 siqua intersint, obstacula removebit.

Liceat ergo mihi pace vestrâ, Viri Clarissi-
 mi, vos nunc obsecrare, et obtestari, ut quan-
 tumvis curæ in tantam rem superiore litterarum
 curriculo à vobis fuisse adhibitum mihi persua-

sum esse debeat, tantumdem sæpiùs hoc ineunte reponatis. Ejus enim momenti est, ut vix nimio studio peccari posse videatur, et si qua levior appareat remissio, pro gravi debeat haberi; etenim, ut abiit in proverbium, *qui minima spernit, paulatim decidet*. Considerate vestro commissam esse studio, atque manibus, nedum Galleciæ, quam incolitis, verum etiam fortasse totius Hispaniæ salutem, dum eos instituendos suscipitis, qui vel plerosque, et summos honorum gradus obtinebunt, vel obtinentibus aliis optimarum artium documento præibunt, ad quorum proinde exemplum, si eximios virtute, atque doctrina excolueritis, ne dubitetis totam gentem esse composituros. In superius itaque fastigium, cum res, locusque feret, extollendis, quam eis instillaveritis doctrinam, eadem futura erit mens, sensusque omnium communis, quique vestrâ operâ ingenerati fuerint mores, eadem invalescet praxis universalis. Illud non negaverim, fieri posse, ut optimè institutus juvenis, vel allicientibus voluptatis allecebris, vel ipsius humanæ naturæ imbecillitate ad vitia proclivis, à virtutis semitâ deficiat; verumtamen olim, et forsam, cum minimè cogitaveritis, ad bonam frugem, revocante priùs insito pietatis sensu, adductum videbitis; contra verò, si nullis

artibus fuit expolitus, si ab incunabulis obliquus adolevit, unquam resipiscat; frustra speraveritis; imò cum plurimum offensione ex abyssò in abyssum ferri præcipitem eventus comprobabit.

Quod si ipsius rei utilitate optimam vobis susceptæ juventutis institutionem tantopere commendavi, multo id magis præstandum esse judico horum temporum injuriâ, quæ jam pridem ab Apostolo his verbis prædicta sunt: *erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, et à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur* (*). Vaticinium istud, Sapientes, si et mala, quibus impetimur, et quæ illis conjuncta sunt, quis attentè consideret, turbulentâ hac tempestate ad verbum adimpletum esse minimè poterit inficiari. Blandæ enim, atque perniciosæ caliginosi hujus sæculi doctrinæ, nedum verbis, sed etiam scriptis circumfusæ, quamlibet obsistente eorum, qui præsent, studio, atque auctoritate, pactum illud sociale quod adeo extollitur, status quidam solitudinis societati præcedens, æqua omnium conditio, jura hominis impræscriptibilia cum universæ

(*) Paul. ad Timoth. 2. c. 4.

auctoritatis et potestatis tum divinae, tum humanae injuriâ, suprema potestas ad populi arbitrium, et nutum composita præter tot, qui de revelatione circumferuntur errores, nonne sunt ipsamet à sanâ doctrinâ apostasis eodem loco ab Apostolo prænuntiata? Magistri illi tot mendacia commenti, quæ sub ovina pelle, et publicæ utilitatis specie sustinere, et diffundere nituntur, incautorum animos, sensusque præstringentes, ipsi etiam sunt, quos *auribus prurientes*, ibidem Paulus nuncupavit. Tot asseclarum turba, qui eosdem quasi ex tripode loquentes auscultant, confictas hypotheses mirantur, commentis adhibent fidem in verba, et somnia jurant, atque quod est pejus, ad eam normam vitam componunt, alii non esse videntur, quam *qui à veritate auditum avertent, ad fabulas autem convertentur*. Quid autem hic ad vos, qui constituti estis magistri in Israel, ego personare (et quanta quidem possit fieri vocis contentione) debeam, nisi quæ eundem locum subsequuntur: *Tu verò vigila, in omnibus labora... ministerium tuum imple, sobrius esto*. Sobrietatem quandam doctrinae ego etiam hic vos postulaverim; non enim tantum speculandæ veritati totus conatus adhibendus est, sed potius exequendæ, scriptum enim est: *non oportet sapere, sed sapere quod*

sobrietatem (*). Tu autem, Dignissime Rector, quem tantæ rei adiutorem, et executorem divina Providentia decrevit, atque ad tantum opus iterum vocabit, *argue, obsecra, increpa in omni patientia, et doctrinâ*, memor optimis moribus institutam Compostellanam juventutem tuam fore proculdubiò gloriam et coronam.

Vosque Gallaici juvenes quorum incorrupta eruditio, religiosique mores sunt dilectissimi nobis Ferdinandi sollicitudo, et anxietas, dignissimorum Magistrorum, quos reveremini, studium, et opera, parentumque vestrorum, atque civium vota, et spes, illorum monitis, et consiliis obtemperantes, quidquid Regia auctoritate in vestram salutem constitutum est, sedulo exequimini. Et si fortè hactenus aliquid irrepserit incuriæ, sive duri temporis causa, sive eo quod rerum initia semper difficultatibus premuntur, donec ut fruges stato die, tempore firmentur, jam nunc vestram omnibus numeris absolutam operam unâ nobiscum adhibete. Memineritis vos ad delubra Minervæ tunc esse adductos, cum oportunissimum locum nacti estis, ut pietate, religione, cæterisque optimis artibus, quæ ad salubriorem disciplinam

(*) Idem ad Rom. c. 12. v. 3.

exiguntur, æternam laudem, et gloriam possitis apud posteros comparare. Et ut in priore rerum eversione, cum legio illa litteraria ex hujus Universitatis alumnis collecta, duro castrorum ob-sistentibus labori, pro communi salute adversus inhumanissimum tyrannum ad arma eucurrit, majores vestri se pro aris, et focus accerrimos propugnatores exhibuerunt, egregium opus, et inter æterna hujus Lycæi monumenta celebrandum posteritati tradentes; sic vos stratâ nunc illorum sanguine ad fovendam, atque colendam pietatem viâ, et nequaquam ab eorundem indole degeneres, vosmetipsos nedum juvenes peritissimos, sed et piissimos, et religiosissimos, et omnium officiorum, quibus constat salus æterna, observantissimos præstate; quodque illi tunc temporis, egregiâ editâ pugnâ, propugnatae fidei exemplar ediderunt, idem, vos hodiernâ die, mentibus animisque vestris ad hanc regulam compositis, informatæ juventutis virtutibus omnibus exhibete. Religiosus cultûs academici usus, flagrans in charissimum nobis Ferdinandum litterarum et eruditionis Iberæ Mecænatem studium, et dilectio, frequens, et statis diebus sacramentorum repetitio, sic à vobis curriculo præsentis adimpleatur omninò, ut omnibus innotescere, atque pu-

blicis mandari litteris mereatur, quemadmodum
 cujusdam Hispanici Lycæi alumnos anno superio-
 re magnâ omnium nostrum exultatione, et fruge
 legimus præstitisse. Dummodo res ita se habeat,
 Pater omnipotens vobis paternæ suæ dexteræ bene-
 dictionem misericors largietur, omnique bonorum
 copiâ, atque uberrimis vestri laboris præmiis apud
 parentes, cognatos, et amicos priûs cumulatos,
 gloriâ deinde æterna donabit. **DIXI.**

